

**Aggeus**

394

populum israel refert cum memorato rege hierusalem expugnata hierusalem captivum in babilonem fuisse perductum. Sed cum memoratus populus multum temporibus idolis serviendo etiam effusione sanguinis innocentium se graviter impiiasset. volens deus generationem universam eiusdem populi ob causas memoratas penitus deperire. septuaginta annorum captivitate eundem populum in regno chaldeorum statuit sustinere. hac ratione ut completo numero annorum novus populus a memoria peccatorum communis ad renovationem hierusalem perveniret. Sexagesimo itaque secundo anno regno chaldeorum subverso quod adhuc octo anni restabant ad regnandum. quod etiam sexta visio danielis ostendit. cum propter causas sacrilegum quod in eadem visione continetur fuisse extinctum. Darius qui medicus impabat: ut septima visio danielis ostendit: memoratorum regno successit. Cuius primo anno regni. ut decima visio danielis manifestat daniel supputans annis videns appropinquare tempus reversionis que per hieremias fuerat promissa. orans tam pro se quam pro populo eandem promissionem a deo postulabat impleri: cui per gabrielem archangelum in eadem visione inter preces eiusdem. universa completa esse. deus dixit: Nam moriente super dicto vario rege medorum: et succedente in regno cyro rege persarum: promissione dei completa per eundem regem populumque israel in hierusalem reductum: historia secundi libri palipomenon: et initium esdras prophete confirmat. Cumque a populo israel et senioribus templum dei edificari cepisset. mortuo cyro rege ac regnante vario rege persarum. qui memorato cyro successerat. vicinas gentes civitatem hierusalem (ut idem esdras refert) restorationem templi et civitatis resistendo impedire ceperunt. Qua ratione deterritus populus israel. reparationem supradicti templi domini necdum iuxta promissionem concessam esse credebat. Propter quod in secundo anno regni memorati darii regis persarum. aggeus propheta a deo missus. corobabel qui de tribu erat iuda qui potestatem regni suscepturus erat zefum filium iosedech summum

sacerdotum ammonet: ut credant completo numero annorum tempus restorationis hierusalem advenisse. hoc etiam additio ne incredulitatem populi vellet imitari. de quo deus per eum dixit: Populus huius dicit: Non dum venit tempus. ut edificetur domus dei. Via autem que textu huius prophete continent: reversionem populi. edificationem templi. renovationem civitatis. obsequantiam sacerdotum. et initium regnorum gentium exterarum significant.

**Explicit plogus. Incipit Argumentum**

**A**ggeus festinus et letus. qui seminavit in lachrymis ut in gaudio meteret. destructum templum reedificat. et unquam patrem inducit loquentem: Adhuc unum modicum est: et ego commovebo celum et terram. mare et aridam et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus.

**Explicit Argumentum. Incipit Aggeus propheta. Capitulum I**

**I**n anno secundo darii regis in mense sexto in die vna mensis: factum est verbum domini in manu aggei prophete ad corobabel filium salathiel ducem iuda: et ad iesum filium iosedech sacerdotum magnus: dicens. Hec ait dominus exercituum dicens. Populus iste dicit: Non dum venit tempus domus domini edificande. Et factum est verbum domini in manu aggei prophete dicens: Nunquid tempus vobis est. ut habitetis in domibus laqueatis: et domus ista deserta? Et nunc hec dicit dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum: et intulistis parum. Comeditis: et non estis satiati. Bibistis et non estis inebriati. Opulistis vos: et non estis calefacti.

S 4